



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs XXX. De officio Legati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

AA. nisi per privilegium reale, ac perpetuum certo ordini v. g. concessa sit potestas eligendi, ad privilegia v. g. sua defendenda, Conservatorem. Videatur etiam de his Conservatoribus Trident. sess. 14. c. 5. de refer.

TITULUS XXX.

DE OFFICIO LEGATI.

§. I.

Quot sint genera, ac species Legatorum Sedis Apostolicæ:

IN triplici differentia sunt Sedis Apostolicæ Legati; alii sunt, & dicuntur, Legati à Latere, Cardinales scilicet, qui à latere quasi Summi Pontificis, cui in rebus arduis, & magni negotii assistunt, mitti solent: alii dicuntur Legati missi, qui à Summo Pontifice ad unam, aliâve provinciam mittuntur, ut officium Legatorum exercent; & quamvis quilibet Clerici hoc modo mitti possint, hodie tamen ordinariè, qui taliter mittuntur, sunt Prælati Ecclesiarum, qui ratione privilegiorum, quæ habent, jam Legati missi sive Nuntii Apostolici cum potestate Legatorum à Latere dicuntur, jam simpliciter tantum Legati missi, seu Nuntii Apostolici appellantur. Alii denique sunt Legati nati, qui Prælatuæ, seu dignitati suæ Ecclesiasticæ, officium, seu munus Legati Apostolici perpetuò annexum habent. Censentur autem omnes isti Legati ordinariam jurisdictionem habere in Provinciis, ad quas sunt deputati, c. 2. b. t. in 6. de quo plura in sequentibus.

§. II.

De jurisdictione, & potestate omnibus Legatis Pontificis communi.

Potestatem Legatorum Apostolicorum tum absolutè, tum quoad extensionem, aut restrictionem, pendere ex voluntate Papæ legantis, certissimi juris est; & hinc legationis suæ literas publicare solent, ubi ad Provincias sibi commissas pervenerint, ut nota sit eorum potestas, nisi Legati nota probitas, vel auctoritas, si Cardinalis sit, saltem quoad ea, quæ in generali officio legati continentur, fidem faciant. Et quamvis in genere officium eorum describatur in c. 2. b. t. in 6. & non tantum regulariter possint in suis Provinciis, quod possunt ordinarii locorum, sive Episcopi hi sunt, sive Archiepiscopi, imò amplius quid possint, cum ipsi etiam Ordinarii eorum jurisdictioni, etiam quoad pœnas subiciantur, non potest tamen Legatus, quamvis à Latere sit, Episcopum transferre ab uno Episcopatu ad alterum, unire sibi invicem duos Episcopatus, aut unum in duos dividere, Episcopos deponere, eorum resignationem admittere, aut alia, quæ specialiter Papæ

Papæ reservata sunt, juxta *Gloss. in c. 1. h. t. V. legationis.* sine speciali ad hæc mandato *c. 3. § 4. h. t.* potest tamen statuta condere, ad mores emendandos, & vitia corrigenda, quæ suapte naturâ perpetuò duratura sunt, etiam post finitum legationis officium, ut habetur in *c. nemini, h. t.* nō quidem, quæ sunt contra jus commune, cū inferior non possit tollere legem superioris; quæ sunt tamen præter jus commune, cū sit ordinarius in sua Provincia, nihil ad hæc statuenda requirendo, aut consensum Prælatorum illius Provincie, vel populi illius, & potest etiam super causa electionis Episcopi examen instituire *c. licet 5. h. t.* ita tamen, ut examen & informationes ad Pontificem submittere debeat, & ex eo tempore non possit amplius in negotio tali procedere, quia suspensa est ejus jurisdictio, prout sumitur ex relato *c. licet,* ne videatur in re ad superiorem relatâ, si procedere velit, auctoritati judicis superioris illudere: & quamvis de jure antiquo Legatus Sedis Apostolicæ, sive missus sit, sive natus, omnes causas provincialium, sive per appellationem, sive per simplicem querelam ad illum deferantur, audire, & cognoscere possit *c. 1. h. t.* & concurrat cum aliis ordinariis, restricta tamen per Trident. est hæc potestas *sess. 24. c. 20. de refor.* ubi statuitur, ut Legati Apostolici, etiam de Latere non possint cognoscere causas subditorum provincialium, nisi ordinarius intra biennium à die motæ litis numerandum, negligat, vel nisi per legitimam appellationem à sententia definitiva ad Legatum causæ devolvantur. Neque tamen potest de jure etiam antiquo Legatus Sedis Apostolicæ,

etiamsi de Latere sit, causam alteri à Summo Pontifice specialiter delegatam, ad suum forum trahere, *c. 2. h. t.* (etiamsi delegatus nondum uti poterit suâ jurisdictione) aut appellationem à sententia delegati admittere, neque potest contra sententiam delegati restituere aliquem (ad cavenda multarum perturbationum incommoda) nisi nova causa à delegante non prævisa superveniat, quâ cognitâ verisimiliter talis delegatio facta non fuisset; quo in casu prohibere potest delegato speciali, Legatus, ne in cæpto negotio procedat; aut nisi specialis delegatus contra formam mandati Apostolici procederet, quo in casu se immiscere tali negotio potest Legatus, & acta delegati irritare etiam, vel irrita declarare, prout communiter à contratio sensu colligunt AA. ex citato *c. 2.* aut nisi prius, quàm literæ specialis commissionis fuerunt præsentatæ causam talem jam cognoscere cœperit Legatus, quo in casu sicuti prævenit delegatum, ita etiam procedere potest, aut nisi tantum sententiam à delegato rationabiliter Latam confirmet, quod in citato *c. 2.* conceditur Legato, approbando scilicet illam, nullam tamen novam illi auctoritatem, aut robur addendo, cū in casu tali delegatus specialis à Summo Pontifice sit superior tali Legato generali, quamvis hic sit à latere.

§. III.

De potestate speciali Legati à Latere.

Majorem potestatem esse Legati à Latere, quàm sit aliorum, ipsa major dignitas probat, & hinc ob reverentiam Sedis Apostolicæ, quam repræsentat Legatus

gatus à Latere, omnium Legatorum aliorum inferiorum potestas suspenditur, ut nullū hujus exercitium præfente Legato à Latere habeant, *c. Volentes §. h. t.* & ob hanc ipsam prærogativam dignitatis præ cæteris Legatis, concessum est Legatis à Latere, primò ut conferre possint de jure ordinario beneficia suæ Provinciæ, ad quam destinati sunt, ita ut cum quolibet ordinario illius Provinciæ concurrant in conferendis beneficiis, & detur locus præventioni (quam potestatem non habent alii Legati ex officio Legationis sibi concessæ, nisi specialiter hoc ipsis concessum sit, prout habetur in *c. 1. h. t. in 6.*) ita ut possint conferre beneficia in sua provincia sita, etiãsi illa sint de jure patronatus Ecclesiastici, non consentiente, & inconsulto etiã Patrono tali, *c. dilectus §. h. t.* si enim prævenire potest ordinariū collatorem Legatus in conferendo beneficio *c. si à sede 31. de præb. in 6.* multò magis potest prævenire patronum Ecclesiasticum, & hoc inconsulto conferre beneficium, cum per collationem talem plus jure quasi adiuatur collatori ordinario, qui confert jus in re, quàm patrono, qui confert tantum jus ad rem *c. pastoralis 29. de jure patro.* & quamvis hoc etiã verum sit, de patronatu, qui tantum ex præscriptione, consuetudine, aut speciali privilegio habetur, dici tamen hoc non potest de patronatu laico, qui ex fundatione, dotatione, aut ædificatione Ecclesiæ habetur, cui nec ipse Pontifex facillè derogare censetur, nisi hoc exprimat, ut ne scilicet à fundandis, dotandis & ædificandis Ecclesiis absterreantur alij. Quin etiã ea beneficia conferre possunt Legati à Latere, quorum colla-

tio ob negligentiam collatorum inferiorum ad Summum Pontificem devoluta est, cum ille Papæ vices in Provincia agat; non tamen ea, quæ propter negligentiam Prælatorum regulatium exemptorum, auctoritate Apostolicâ conferre possunt Episcopi, juxta *clement. 1. de suppl. negl. Præl.* cum talia beneficia ex speciali delegatione conferat Episcopus: potest autem de jure communi Legatus à Latere non tantum beneficia, actu vacantia conferre, sed etiã nondum vacantia suæ collationi reservare, etiã in favorem certæ personæ, cum limitatione tamen præscripta in *c. præfenti 3. h. t. in 6.* plura adhuc tam circa collationem beneficiorum, quàm circa alia, quæ Legati à Latere possunt, facilius legentur apud Aut. hinc, quàm ut pluribus ea referantur, quæ non tantum rari per se usûs sunt, sed pleraque etiã Concordatis nostræ Germaniæ repugnant.

§. IV.

Quando, & quo loco Legatus Sedis Apostolicæ exercere possit suam jurisdictionem.

Cum primùm urbe egressus est, qui Legatus ad Provincias mittitur, gerit dignitatem, & potestatem velut in habitu, & ided in accessu ad Provinciam, ad quam destinatus est, potest gestare suæ Legationis insignia *arg. legis 1. ff. de off. proconsul.* equo scilicet albo uti, vestibus rubris, freno, & calcaneis deauratis: & quamvis actu exercere non possit jurisdictionem suam contentiosam, antequam Provinciam sibi commissam ingreditur, potest tamen infirmitate v. g. in itinere præpeditus, delegare jurisdictionem

nis exercitium aliis in Provincia sibi commissa exercendum *arg. legis aliquando ff. de off. proconsulis.* & voluntariam jurisdictionem exercere circa suos Provinciales etiam extra Provinciam existens; sicut etiam si ad plures Provincias mittatur, potest in qualibet earum non tantum voluntariam, sed contentiosam etiam jurisdictionem circa suos Provinciales exercere, juxta *c. novit. 7. h. r.*

§. V.

Quibus modis finiatur officium, seu potestas Legati Apostolici?

Quatuor potissimum modis finitur, ut tradit *Gloss. c. presenti 3. V. finitur legatio h. r.* tempore scilicet elapso, ad quod constitutus est Legatus, *arg. c. de causis 4. de offic. deleg. secundò si aliquam causam dubiam ad Summum Pontificem detulit, finita est illius jurisdic. quoad causam talem, c. licet 5. h. r.* tertio si Provinciam sponte egressus sit, animo non redeundi, aut à Pontifice revocetur,

non quidem per submissum alium, quo in casu perseverat esse legatus *juxta receptam communiter Glossam in c. in Galliarum 3. V. pratermitti causa 25. quest. 2.* cum non repugnet plures esse judices ordinarios in eadem Provincia, eidem superiori subordinatos, sed per expressam revocationem, quam etiam Collegium Cardinalium, Sede Papali vacante ex gravi & urgente causa facere potest *juxta Gloss. in c. 2. V. declaramus h. r. in 6. præsertim, si nondum Provinciam ingressus sit, ad novas à novo Pontifice instructiones accipiendas.* Et quarto denique expirat, non quidem per mortem legantis Pontificis, ut constat *ex c. Legatos 2. h. r. in 6.* sive uti eà ceperit, sive Provinciam jam ingressus sit, sive nondum ingressus sit, cum sit Sedis Apostolicæ, quæ nunquam moritur Legatus, & ordinaria sit illius jurisdic. sed si Legatus talis moritur, quia personalis hæc gratia & potestas est.

